

- 11) Administratores locorum piorum.
- 12) Confratres.
- 13) Quaestores eleemosynarum.
- 14) Officiales curiae episcopalis.

Annotationes.

Circa 2. Intellige de Abbatibus saecularibus exemptis.

Circa 3. Visitantur canonici exempti a s. sede apostol., quod si procedat episc. extra actum visitationis generalis, eligi debent duo de capitulo, de quorum consensu procedatur, ex Trid. sess. 25. c. 6., si nimirum canonici sint exempti, alios non exemptos visitat episcopus prout voluerit: sed tamen in loco capitulari seu alio commodiore, ut s. Congr. respondit episcopo Abluen. ad octavum.

Circa 6. *Fuscus* notat lib. 2. cap. 7 quod *nomine beneficii* intelligitur canonicatus, praebenda, dignitas, personatus, vicaria, praestimonium, pensio ad vitam assignata pro titulo, immo, et beneficium de mensa et Terra beneficalis seu ruralis, cujusmodi Neapoli habentur quia scilicet orare oportet pro anima relinquentis, et capellania.

In declarationibus sac. Congregat. Concilii Tridentini excipiuntur a Visitatione subcollectores camerae apostolicae, licet beneficiati; in respons. ad episc. Segobiens.

Circa 11. Pia Universitatum loca non sunt obnoxia redditioni rationum ordinario ex declar. sac. Cong. neque administratores regulares tenentur reddere rationem monasteriorum, licet pia loca dicantur.

Ratio quoque sumptuum fabricae ecclesiasticae, si aliter institutione statutum sit, non est reddenda episcopo. Caeterum etsi aliis administratores reddere debeant, non tamen excludi-

tur episcopus, qui cum iis unicum habet votum in eorum absolutione, alias non valet.

Haec s. Congreg. in declarat. sess. 22. cap. 9.

Circa 12 et 13. Favet Trident. expresse in dict. cap. 9. sess. 22.

Adde, posse episcopum visitare et corrigere regularem extra monasterium degentem, etiam sui Ordinis privilegii praetextu munitum, ex Trid. sess. 6. cap. 3., si tamen degerit sine licentia superioris, ut ibid. sac. Cong. ex eod. Concil. sess. 25. c. 24. de regul.

Item posse punire eum regularem tamquam desertorem sui instituti, qui sine mandato superioris in scriptis obtento repertus fuerit extra Conventus suos, etiam praetextu adeundi superiores, ex Trid. sess. 25. c. 4. nisi constet de notorio gravamine, ait F. Eman. tom. 2. quaest. 30. art. 3. qui praeced. quaest. artic. I. affert deers. Cong. mitiorem in partem emanatum.

Caeterum in visitatione personarum satius erit, si episcopus solus cum notario quemque examinet, vel etiam in aliquibus sine notario, ut majori cum fiducia de absentibus loquantur emendandis.

Gavant. Merat. t. V. p. 63. (Ed. Venet. 1823.)

Index decernendorum in visitatione personali.

1. Descriptione personarum facta cum defectuum cujusque mentione ad decreta venitur.

2. Quaedam fiunt verbo vel secreto, vel publice, ut caeteri timorem habeant, iudicio episcopi; cavendum tamen est, ne diminuatur auctoritas parochi vel praelatae monialium, nisi gravius de-

lictum aliter suadeat, in dubio ii defendantur ab episcopo.

3. Quaedam, quae sunt communia pluribus, si graviora sint, scripto decernantur cum oblatione, ut legantur saepius, audientibus iis, de quibus agitur.

4. Quae gravissima, quae probatione egent, accusatore non probante, ne publicentur testibus autem nolentibus deponere in scriptis, secreto fiat correctio.

5. Quaedam rite probata puniantur prout juris est, praesertim contra non residentes.

6. Nam initio severitatem, in progressu diligentiam, in fine justitiam adhibere debet Visitator. Parcius tamen decretis agat, ne nimis multa vilescant.

7. In titulis Beneficiorum illegitimis, si quos repererit, utatur ditatione ad breve tempus ut ecclesiae quam primum consulatur, nedum beneficiato fortasse excusando.

Gavant. Merat. t. V. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)

79) Poenae imponendae.

Visitatorem non posse procedere judicialiter viam fori poenitentialis in hanc sententiam videtur saepius respondisse S. C. C. Nam a capitulo Segobiensi consulta, an et ad quae genera poenarum posset episcopus se extendere in visitatione et ad poenam ordinariam delicti procedere, resp.: Posse imponere poenas non quidem ordinarias sed eas tantum, quae morum correctionem et emendationem respiciunt. Et Archidiacono Juvenacensi ad dub.: An episcopus in visitatione posset causas ordinarias cognoscere? resp.: causas ordinarias extra visitationem esse cognoscendas.

Fagn. c.: Dilectus de rescript. n. 43. et seq.

Hinc est, quod in visitatione non debeat inquiri in specie super delictis rectoris sive parochi, sed tantum de statu gener. ecclesiae nulla servata forma iudicii et prout mandat decretum S. C. C. per extensum relatum a Piasec., quia puniendi finis in visitatione non intenditur sed corrigendi et salutare poenitentias injungendi.

Monacell. formul. leg. pract. t. I. t. 5. formul. 2. n. 58. p. 137.

80) De Poenitentia.

Vd.: *Visitatio confession., Visit. de SS. administratione.*

In Visit. de poenit. est inquirendem:

1. An hoc sacramentum ministretur in ecclesia in sede confess. cum superpelliceo et stola?

2. An sedes confessionales habeant crates saltem ligneas seu potius laminas ferreas, spissis foraminibus tebratas ac bene undequaque haerentes, cum asserculo versatili, cujus objectu facies sacerdotis populo occultetur, necnon piam aliquam imaginem ex parte poenitentis et an sint in loco visibili?

3. An confessarii audiant confessiones extra sedem confess., praesertim mulierum et puerorum e conspectu nulla interposita crate? Nam si talis abusus inveniretur, poena suspensionis ab audiendis confessionibus esset puniendus.

4. An in sede confess. sit affixa tabella casuum reservat. et summariorum bullae in Coena D.

5. An admittantur confessarii tam saeculares quam regulares exteri et de aliena dioecesi ad audiendas confessiones sine episcopi licentia?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. 4. suppl. ad 1. t. post n. 267.)

81) Presbyterorum.

Vd.: *Visit.* (Benefic., Clericor., de missae celebr., parochi.)

In Visit. Presbyterorum peragenda est inquirendum:

1. An et quos libros retineat et studeat?
2. An et quibus ludis det operam aut venationibus?
3. An quotidie Sacrum faciat?
4. An celebret recitatio Matutino cum Laudibus, cum paramentis integris et mundis?
5. An ante celebrationem missae tabacum sumat, quoties in hebdomada confiteatur peccata et ante missam praeparationem faciat?
6. An in civitate et locis populosis celebret cum veste talari?
7. An quotidie recitet divinum officium statutis locis et in quo loco?
8. An habeat superpelliceum et biretum decens proprium?
9. An interveniat processionibus et aliis functionibus eccles. publicis locis in quibus permanet?
10. An semper incedat cum veste talari in civitate et locis parvis decenti cum corona et tonsura capillorum?
11. An intersit aut ducat choreas, in comediis fit actor et in commessionibus et conviviis tempus insumat?
12. An cohabitaret cum mulieribus et quae sint?
13. An implicet se negotiis saecularibus mercaturam exercendo aut vectigalia laicorum conducendo aut negotia tamquam factor et minister eorum laicorum agendo vel procuram exercendo?

Si visitator in hac speciali visitatione adverteret, illos veritatem non dicere, posset ac eos exigere iuramentum posteaquam eis audivit, ut dicit *Graff.* decis. cur. part. 2. l. 3. c. 27. n. 6. et 63.

(*Monacell.* t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

82) Regularium.

(Modus.)

In Visit. Regularium est inquirendum:

1. An adsint in numero sufficienti et habeant qualitates praescriptas a constitutionibus apost.?
2. An servant et servari faciant ab eorum famulis dies festos necnon censuras et interdicta ab episcopali cura emanata?
3. An admittant in eorum ecclesiis presbyteros saeculares externos ad celebrandas missas absque episcopi aut ejus vicarii licentia? (S. C. C. in Neapol. 17. Aug. 1617.)
4. An publice exponant SSimum sine licentia Ordinarii?
5. An habeant conservatorem legitime electum ad formam constit. Gregorii XV.?
6. An eleemosinas quaerant, licet non indigeant?
7. An incedant per loca sine socio et vadant de nocte?
8. An se ingerant in administratione honorum spectantium ad societates laicorum in eorundem ecclesiis erectas?
8. An Sacramenta infirmis ministrant inscio aut invito parochi?
9. An celebrent missas horis incon-suetis vel sermones habebunt in eccle-

siis sine licentia episcopi vel miracula praedicent non authentica?

10. An accedant ad monasteria monialium absque licentia praeter formam praescript. a decretis apost.?

(*Monacell.* t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

Vd.: *Visit.* (*monast., eccles. par. et cur. regul.*)

83) SS. Reliquiarum.

In Visit. ss. reliqu. peragenda est inquirendum de:

- 1) Armario.
- 2) Vestibus interioribus.
- 3) Thecis propriis.
- 4) Nominibus Reliquiarum.
- 5) Approbatione.
- 6) Expositione.
- 7) Clavibus.
- 8) Officiis divinis.
- 9) Festis.

Gavant. Merat. t. V. pag. 65. (Ed. Venet. 1823.)

Si in visitatione adinveniantur reliquiae antiquae, quae ob injuriam temporum seu ob incuriam custodum careant suis authenticis, debet visitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt. Sic voluisse S. C. C. refert *Barbosa* in *Summa*, verbo: *Reliqu. SS.* n. 3 et de off. et potest. Ep. p. 3. alleg. 97. n. 11.

In Visit. ss. reliqu. inquirendum est:

1. An decenter custodiantur in thecis saltem ex ligno deaurato et cristallo seu vitro integro contactis cum suis inscriptionibus?
2. An retineantur in armario ornato loco fixo sub sera et clavi cum epigraphe: *Reliquiae Sanctorum.*

An adsit catalogus omnium reliquiarum et an sint authenticae vel ignotae aut dubiae fidei?

4. An asportentur ad infirmos; si enim hoc fieret, prohibeatur.

5. An in illarum publica expos. accedantur lumina et si subtus altaria sunt deposita corpora integra SS., an retineatur lampas accensa?

Monacell. t. I. in append. in fine, et t. 4. suppl. ad 1. t. post n. 267.

84) Res variae visitandae.

Vd.: *Visitat. eccles. par. et cur. regul.* (Constitut. Bened. XIV. *Firmandis.*); *Visitat.* (Utensil. sac.). *Visitandi.*

Guardien.

Ad dub. 1. An Episcopus Guardian. in visitatione s. Joannis oppidi Aquae-vivae possit etiam visitare libros parochiales ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectantes, scilicet Baptizatorum, confirmatorum et defunctorum?

2. An dictus episcopus uti sedis apostolicae delegatus corrigere possit parochum aliosque dictae ecclesiae Ministros tam in actu visitationis quam extra?

3. An possit ut supra inquirere contra dictos parochum et Presbyterum non tantum in concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem sed etiam in aliis causis civilibus et criminalibus et in omnibus circa morum correctionem civilibus et mixtis? Et quatenus affirmative,

4. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impedientes tam Commendatarium quam Ministros?

5. An possit mandare in actu Visitationis ut Calices et decentia para-

menta ad decorem administrationis provideantur?

6. An cognitio status liberi eorum, qui Matrimonia contrahunt in dicto oppido, et literas eis dare spectet ad episcopum?

7. An facere testamentum vulgo dictum dell' anime juxta solitum Diocesis spectet ad episcopum?

8. An Episcopus tam in actu Visitationis quam extra procedere possit contra Laicos Commendatarium et ministros dicti oppidi pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus percutientibus clericos, in observantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis etc. et tali casu censuris ecclesiasticis uti?

S. C. C. resp.: Manuendum esse episcopum in omnibus.

Die 28. Jan. 1736 25. Febr. 1741.

Calaguritana.

Abbas ven. monasterii B. M. de Naxera ordinis s. Benedicti congregationis Hispaniarum habet in civitate Naxera jurisdictionem ordinariam et jus visitandi Ecclesiam parochialem s. Crucis et Ecclesiam s. Michaelis earumque clericos et capellanos private quoad Episcopum Calaguritanum; in reliquis vero habet jurisdictionem ordinariam cumulative cum eodem Episcopo, ut constat ex antiqua sententia lata usque et ab anno 1412 per Sedem Apostolicam confirmata necnon ex mandato de manutenendo obtento de anno 1616 a s. Rota coram R. P. D. Ottembergo.

Volens autem supradictus abbas de anno proxime praeterito visitare dictam parochialem Ecclesiam s. Crucis plenarie et subjective suo monasterio unitam et cujus ipse est verus

parochus administrans animarum curam per Vicarios a se deputatos et divina officia per clericos et capellanos ibidem existentes, ut plenissime firmatum fuit in decis. 57, 67, 77 coram Ubald. tom. 3. et in *Nullius seu Calaguritana* Quartae funeralis de Naxera, 11. Januarii 1692 et 13. Februarii 1692 cor. bon. mem. Emerix, requisivit ad hunc effectum etiam sub poena censurarum in casu recusationis exhibitionem librorum anniversariorum, capellaniarum et operum priorum illorumque computa et instrumenta foundationum a praefatis clericis et capellanis, qui requisitos libros exhibere recusantes habuerunt recursum ad regium tribunal, ex cujus scripto coactus fuit dictus abbas ab ulteriori progressu in visitatione desistere; additaque successive per eosdem clericos et capellanos signatura justitiae pro commissione appellationis sub die 4. Martii 1700 prodiit rescriptum: „Nihil.“ Cum vero postmodum ex decreto R. P. D. auditoris Sanctissimi hujusmodi causa remissa fuerit ad hanc sacram Congregationem, ideo proponuntur infrascripta dubia ab EE. VV. de more resolvenda:

I. An capellani Ecclesiae s. Crucis teneantur in actu visitationis exhibere libros antiquos et recentes continentes legata et bona relicta eidem ecclesiae?

II. An teneantur exhibere libros continentes anniversaria aliaque onera et opera pia in dicta ecclesia fundata?

III. An teneantur exhibere libros continentes foundationes beneficiorum et capellaniarum earumdemque foundationum instrumenta?

IV. An teneantur exhibere libros continentes computa reddituum et exituum ecclesiae eorumque solidationes?

IV. An exhibere teneantur notulam eorum, qui possident capellanias et alia beneficia in dicta ecclesia, et illorum, qui debent anniversaria aliaque opera pia adimplere?

VI. An teneantur exhibere notulam bonorum alienatorum ecclesiae et respective noviter acquiritorum atque instrumentorum et scripturarum eadem alienationes et acquisitiones respicientium?

VII. Quatenus affirmative, (an censurae per abbatem de Naxera contra dd. capellanos in actu visitationis pro praemissorum exhibitione sustineatur in casu etc.?)

VIII. An abbas teneatur restituere libros baptismatis et matrimoniorum in casu?

Sacra Congregatio die 4. Junii 1701 distulit propositionem, die vero 18. ejusdem mensis respondit ad I usque ad VI: affirmative; ad VII: abbatem posse uti remedio censurarum; ad VIII: negative, praeterquam quoad libros currentes ut in lib. 51. decr. pag. 306 et 338.

85) SS. Sacramenti Euch.

Visit. ss. Sacr. hoc modo est peragenda:

Observet Episcopus et Notarius describat, an sint, qualia sint, quae sequuntur:

- 1) Tabernaculum ligneum.
- 2) Conopaeum, et an plura.
- 3) Vestem inferiorem.
- 4) Corporale stratum.
- 5) Pyxidem.
- 6) Auro litamintus.
- 7) Velum.
- 8) Particulas.
- 9) Fragmenta.
- 10) Renovationem.
- 11) Clavem auratam.

- 12) Basim tabernaculi vacuam.
- 13) Lampadem ardentem.
- 14) Tabernaculum gestatorium pro Processione.
- 15) Pyxidem pro infirmis.
- 17) Bursam cum chordulis: albam pro rurali communionem, ut a collo pendeat Pyxis.
- 18) Umbellam.
- 19) Laternam.
- 20) Intortitia.
- 21) Velum pro humeris longum.

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

In Visit. SSmi est inquirendum:

1. An retineatur in tabernaculo affabre facto et extra majori ex parte deaurato et interius undequaque serico panno decentis coloris vestito; pyxide argentea orbiculata et auro intus illita cum suo cooperculo et conopaeo super corporali mundo?

2. An ostium tabernaculi sit firmissima sera et clavi argentea aut deaurata clausum, quam parochus apud se diligenti custodia retineat?

3. An tabernaculum sit rectum decenti conopaeo et de illis provisum omnium colorum?

4. An particulae consecratae hyeme saltem singulis quindecim, aestate octo diebus renoventur?

5. An ante altare tabernaculi diu noctuque colluceat saltem una exposita lampas?

6. An in tabernaculo praeter pyxidem aliquid aliud quantumvis sacrum asservetur? Quod si fiat, removeatur; cap.: *Reliqui, de custod. Euchar.*

7. An delatio SSmi ad infirmos fiat cum debita associatione luminum cum baldachino seu umbella in locis parvis, pluviali in civitate et oppidis nota dignis?

8. An mulieres accedant modeste ad sumendam ss. Eucharistiam vel potius irreverenter mammis et brachiis denudatis?

9. An non Communicantes in paschate moniti fuerint et illorum nomina transmissa ad curiam episcopalem?

10. An et quoties in anno fiant processiones cum delatione SSmi et expositione publica?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

86) De Sacramentorum administratione.

Vd.: Visit. (Parochi, ss. Oleor., Baptism., Confirm. etc.)

87) Sacristiae.

In Visit. Sacrist. peragenda est inquirendum de

- 1) Armariis.
- 2) Arcis.
- 3) Lavacro ad lavandas manus.
- 4) Manutergio.
- 5) Oratoriis.
- 6) Tabellis precum ante et post missam.
- 7) Precibus ad paramenta.
- 8) Missalibus.
- 9) Calicibus.
- 10) Patenis.
- 11) Purificatoriis.
- 12) Corporalibus et pallis.
- 13) Velis.
- 14) Bursis.
- 15) Cotylis Hostiarum.
- 16) Amictu.
- 17) Albis.
- 18) Cingulis.
- 19) Stolis, Manipulis et Casulis quinque colorum.
- 20) Festivis.
- 21) Ferialibus.
- 22) Dalmaticis.

- 23) Pluvialibus.
- 24) Pallis.
- 25) Mappis variis.
- 26) Mappulis ad manus tergendas.
- 27) Aliis ad communionis usum.
- 28) Superpelliceis.
- 29) Integumentis Missalium.
- 30) Signaculis.
- 31) Pulvinaribus pro Missali.
- 32) Aliis pro genibus.
- 33) Imaginibus devotis.
- 34) Tabellis onerum, festorum.
- 35) Vigiliis.
- 36) Urceolis.
- 37) Pelviculis.
- 38) Campanulis.
- 39) Vasibus pro laicorum purificatione.
- 40) Supellectilibus argenteis.
- 41) Thuribulo cum navicula.
- 42) Cruce personali.
- 43) Vexillis.
- 44) Vase pro aqua cum aspergillo.
- 45) Tabella pacis.
- 46) Instrumento conficiendarum Hostiarum et Particularum.
- 47) Cribro pro particulis.
- 48) Vasibus florum fictorum.
- 49) Vasibus ad lavanda corporalia.
- 50) Piscina sacra.
- 51) Candelabro triangulari.
- 52) Candelabro Cerei paschalis.
- 53) Feretro.
- 54) Panno mortuorum.
- 55) Legili.
- 56) Libris.
- 57) Rituali novo.
- 58) Missis rejectis, non approbatis.
- 59) Candelabris.
- 60) Portis.
- 61) Clavibus.
- 62) Pavimento.
- 63) Fenestris tutis.
- 64) Parietibus.
- 65) Tecto.
- 66) Inventario praedictorum.
- 67) Subterraneo loco pro vino missae.

Gavant. Merat. t. V. p. 66. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: Visit. (Ecclesiae, de missae celebr.)

88) Seminarii.

In Visit. Semin. peragenda est inquirendum de

- 1) Statutis.
- 2) Moribus.
- 3) Magistris.
- 4) Rectoribus.
- 5) Administratoribus.
- 6) Redditi.
- 6) Numero.

Gavant. Merat. t. V. pag. 69. (Ed. Venet. 1823.)

In Visit. Semin. est inquirendum:

- 1. An adsint deputati electi ad formam Concilii?
- 2. An adsint magistri et quot, et rector?
- 3. An alumni sint omnes civitatis vel dioecesis et omnes sint clerici et pauperes?
- 4. An omnes alumni habeant requisita concilii?
- 5. An admissi praestiterint fidejussionem in actis curiae, impensas vicus reddituri quatenus ad statum laicalem redierint?
- 6) An redditus fideliter administrantur?
- 7. An adsint regulae ab alumni servandae?
- 8. An alumni interveniant Ecclesiae cathedrali diebus festis ad formam Concilii?
- 9. An incedent per urbem soli sine veste?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

89) Tempus.

Vd.: Visitat. Episcopi (dierum num.)

Ex Tridentino c. 3. s. 24. de ref. tota visitatio singulis annis vel ad summum, si dioecesis sit ampla nec praestari integre queat, major illius pars et intra biennium compleatur; et ibi DD. Communiter.

Nullum tamen certum aliud tempus praescribitur Episcopis ad complendam ipsam visitationem sed illorum arbitrio relinquitur; quod quidem arbitrium discretum ac moderatum esse oportet, et quando citius possunt debita tamen adhibita diligentia se expedire, ne gravent subjectos expensis. Unde S. C. ad Trid. S. 24. c. 3. ita respondit in Gadicen.:

„Licet liberrime ab Episcopo et aliis adimplenda sit visitatio, tamen concilium noluit certum terminum praefigere, hoc arbitrio Episcopi relinquendo, illud tamen moderatum et discretum esse debet.“

Propterea alia negotia ad visitationem non pertinentia occupare minime debet sed totis viribus in hanc curam incumbere.

Ita decretum per S. C. testentur Armendar. Ricc. pluribus locis et Piasecius apud Barbos., Pax Jord. vol. 2. l. 7. t. 1. n. 40. de gener. visit.

Ex dispositione s. Concilii sess. 7. cap. 7. de reform. habetur: Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis seu collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum singulis visitentur appellationibus, privilegiis, exemptionibus minime suffragantibus. Rursus in eadem sessione cap. 8. statutum est: Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate apo-

stolica singulis annis visitare teneantur et opportunis juris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur et cura animarum, si qua illis imminet aliisque debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, iudicum deputationibus et illorum inhibitionibus penitus exclusis.

(Ex resol. diei 11. Januarii 1783. Nucarina.)

90) Utensilium sacrorum.

Vd.: *Visit.* (personal.; res visit.; Ecclesiae, Sacristiae.)

Visitator, si in visitatione adveniat altaria de jure patronatus laicorum, non provisa de necessariis paramentis et suppellectilibus aut vetustate consumpta, fere collabentia, monere debet Patronos, ut illa restarent et ornent ac onera eis adjuncta adimpleant infra brevem et competentem terminum alias potest illa concedere alteri patrono, qui velit ea ornare, reparare ac onera eis adjuncta adimplere: Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in Mutinen. 16. Januar. 1604. Sic referunt *Barbosa* in summa apostolic. decis. verb.: *Altaria* n. 6. et lib. 2. juris eccles. univers. cap. 8. n. 18., *Ventriglia* prax. tom. 2. annotat. 24. §. 1. num. 44., *Matthaeucc.* Official. Curiae cap. 55. §. 1. n. 7. et alii.

91) Vicarii apost.

Vicarius apostolicus potest visitare dioecesim et si cum ipso visitet etiam Episcopus, non potest Episcopus se ingerere in visitatione, sed solum in exercitio Pontificalium, si non sit ei interdictum: nec possunt Episcopus et Vicarius apostolicus simul ducere secum plus quam quinque personas,

ut, ne clerus eo casu duplicibus expensis gravetur, statuit s. Congr. Episcoporum in una Cajacen. 20. Aprilis 1601, in Consentinen. 19. Novembris 1652 et in Bisinianen. 23. Augusti 1652.

92) Vicarii capitularis.

a) Associatio in Visitatione.

Abellinen.

Certum exploratumque quum sit in unaquaque dioecesi, elapso anno a die novissimae visitationis peractae ab ultimo Episcopo defuncto, posse Vicarium capitularem legitime electum hanc ipsam visitationem per dioecesim instituere, Sede adhuc vacante, non abs re ab aliquibus dubitatum est quo modo et ritu sit a clero excipiendus hac in actione, quaeque ab eodem clero obsequia illi sint praestanda; oportet enim ut minora sunt illis, quae Episcopo exhibentur. Propterea attento Liturgicorum hoc in proposito silentio volensque omnia ordinate instituere Rmus Vic. cap. Abellinen. S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. Quo ritu excipiendus sit Vicarius ad valvas uniuscujusque ecclesiasticae dioecesis?

2. An omnes de Clero et etiam Canonici de Capitulo accedere debeant ad praestandam obedientiam?

Et in ordinariis Comitibus ad Vaticanas Aedes coadunatis die 16. mense Aprilis anno 1842 S. eadem C., audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: *Exquiratur votum magistri caeremoniarum.* Quo elaborato prae loquendo, iterum propositis recensitis dubiis ab Emmo et Rmo D. Card. Carolo Acton Relatore in altero ordinario S. R. Conventu ad Quirinales Aedes subscripta die coadunato, Emmi et Rmi P. S. Ritibus praepositi, om-

nibus accurate libratis riteque consideratis, rescribendum censuere:

„Dilata et ad mentem. Mens est ut Emus Card. Praefectus cum SSmo agat de necessitate supplendi hac in re defectui Caeremonialis.“ Atque ita rescripsit. Die 16. Sept. 1843.

Super omnibus facta postmodum SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. P. M. per Emmum et Rmum D. Card. Carolum Mariam Pedicini Ep. Portuen. s. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarium, S. R. C. Praefectum, fidei relatione, S. S. benigne annuit et praedicto defectui supplendum esse mandavit juxta modum a Magistro Caerem. in suo voto propositum, videlicet:

„Vic. cap. procedat ad Eccl. cath. veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet superpelliceum vel alia insignia canonicalia, si sit Canonicus, eidemque Biretum presbyterale manu tenenti dignior ex Capitulo stans aspersionum per contactum exhibebit. Praecedente Cruce capitulari caeterisque de Clero recta statim inter duos Digniores ex Capitulo perget ad Sacellum, ubi SSmm Sacramentum asservatur atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum praedictis Dignioribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde principem petit Aram et brevi oratione super infimo gradu peracta sedebit in camerali sede ante latus Epistolae super Altaris suppedaneum praeparata caeterisque in propriis subselliis consententibus et caput bireto cooperiens, tradet, si moris est, Cancellario Visitationis Edictum legendum et deinde proponet causas adventus, ut habetur in Pont. Rom. (*Ordo ad visitandas Parochias*). His absolutis ab Altari descendet et in plano extra latus Epistolae stans, supra superpelliceum vel Rocchetum, si eo utatur,

Amictum, Stolam et Pluviale nigrum induit eique duo Sacerdotes assistant. Interim sedes ab Altari amovebitur, cujus frons pallio itidem nigro obtinetur. Visitator autem adhuc stans juxta Altare in cornu Epistolae versus ad Populum incipit Antiphonam: *Si iniquitates.* Caetera peragantur ut in Pont. Rom. loco cit.“

Quam methodum S. S. firmitate sua communit. Die 8. mense Nov. eodem anno 1843 n. 4973.

b) Jus et procurat.

Vd.: *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig., decr. Pacen.); *Visit. Eccles. Colleg.* (decr. Calagurit.)

(Conc. Tr. C. 16. S. 24. De ref.)

Vicarius capitularis Scardonae quaevisit a s. Congregatione de Propaganda Fide: *an sibi permissum esset facere visitationem civitatis et dioecesis necnon visitationem personalem Capitularium?* Cumque examen dubii fuerit a dicta s. Congregatione ad hanc remissum, operae pretium est de praedicto dubio in praesenti habere sermonem.

De visitatione civitatis et dioecesis ab Episcopo facienda plura pluribus in locis sacri Concilii Tridentini facile videri possunt. At in eo, quod attinet ad visitationem Capituli ab eodem Episcopo faciendam, praedictum Concilium *sess. 6. cap. 4. de refor.* decrevit, quod Capitula Cathedralium et aliarum Ecclesiarum et eorum personae nullis exemptionibus aut consuetudinibus se tueri possint, quominus a suis Episcopis per seipsos solos vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari possint et valeant. Cumque olim dubitatum fuisset: *an in visitatione Capituli suae Cathedralis teneatur Episcopus sibi adjungere ali-*